

legitima potestate ad hæc condemnati fuerint? Fuit quidem Eon hæreticus, insignis etiam magus: *Qui oculos hominum ita fascinabat ut videretur magnam vivorum turbam penes se habere, et regniis deliciis ciborum et apparatus splendidissimi abundare.* ut scribit Guil. Neubrigensis, l. 1. hist. Angl. c. X. Sed hunc tandem a consilio Rhemensi damnatum, cum ad mortem duceretur, sæpius ad terram dixisse: *Terra findere, terra findere*, irrito tamen conatu, legimus apud Robertum, in chron. sic dæmon ludit præstigiatores, servos suos.

Quarto, denique quæ est ita dementia, amare temporalia jamjam eripienda, nec de Deo iudice, ad quem eundem est, cogitare? Annon merito audiet talis illud: *Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt?* Et illud Augustini: *Temporalia perdere timuerunt, et regnum colorum perdere non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt?*

Qui vero doloribus premuntur, dicant illud: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Denique, commune remedium pro supradictis tentationibus est oratio vel ægotantis vel adstantium. Quantum enim hæc possit, ostendit S. Greg. l. IV. dial. c. XXXVII. et hom. XXXVIII. in evang. « Ante biennium, inquit, frater quidam in monasterium meum, quod juxta beatorum martyrum Joannis et Pauli ecclesiam situm est, gratia conversationis venit, qui diu regulariter protractus, quandoque susceptus est. Quem frater suus ad monasterium non conservationis studio, sed carnali amore secutus est. Is autem qui ad conversationem venerat valde fratribus placebat. Et contra frater illius longe a vita ejus et moribus discrepabat. Vivebat tamen in monasterio necessitate potius quam voluntate. Et cum in cunctis actibus perversus existeret, pro fratre suo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim levis eloquio, pravus actione, cultus vestibus, moribus incultus, ferre vero non poterat si quis illi de sancti habitus conversatione loqueretur. Facta autem fuerat vita illius cunctis fratribus visu gravis, sed tamen, ut dictum est, pro fratris sui gratia erat cunctis tolerabilis. Aspernabatur valde, si quis sibi aliquid de pravitate suæ correctione loqueretur. Bona non solum facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conversationis habitum venire, jurando, irascendo, deridendo testabatur. In hac autem pestilentia, quæ nuper hejus urbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumque extrema diem ageret, convenerunt fratres, ut egressum illius orande protegerent. Jam corpus ad extrema fuerat

parte præmortuum, in solo tentummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo cœperunt enixius orare, quanto eum jam videbant sub celeritate discedere. Tum repente cœpit eisdem fratribus adstantibus adnisi quo poterat clamare, et orationes eorum interrumpere, dicens: *Recedite, recedite: ecce draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam devorare me non potest. Caput meum jam in suo ore absorbit: date locum ut me amplius non eruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad devorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris, frater? Signum tibi s. crucis imprime. Respondebat ille ut poterat, dicens: Volo me signare: sed non possum, qui a dracone premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terra cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subito cœpit melioratus æger quibus valebat vocibus exultare, dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad devorandum accederat, fugit: orationibus vestris expulsus est, et stare non potuit. Pro peccatis meis modo intercedite, quia converti paratus sum, et sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut jam dictum est, ab extrema corporis parte præmortuus, reversus ad vitam, toto ad Deum corde conservatus est, longis et continuis in conversatione eadem flagellis eruditus, atque ante paucos dies exescente corporis molestia defunctus est. Qui jam moriens draconem non vidit, quia illum per cordis immutationem vicit. »*

CONCIO VII.

QUOMODO HÆRETICORUM MINISTRI PORRIGANT PLEBI LAPIDEM PRO PANE, SERPENTEM PRO PISCIS, SCORPIONEM PRO OVO.

I. Porrigunt lapidem pro pane in communionem. — II. Pro pisce serpentem in confessione. — III. Pro ovo scorpionem in verbi divini et S. Scripturæ depravatione.

THEMA.

Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi, etc? Luc. XI.

Quæro ex vobis, auditores: Quid diceretis de tali patre qui filio petenti panem, piscem, ovum: pro pane daret lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpionem? Ego sane mihi persuadeo vos omnes esse dicturos: Hic nequam pater, sed latro est, carnifex est, imo ipsemet scorpio est, qui devorat proprios fructus, serpens est et lapis. Equidem et hoc dicturum fuisse Christum puto, si mentem suam explicare

voluisset. Ita enim hanc rem proposuit in hodierno evangelio, quasi ea fieri non posset, nec tam crudelis pater usquam reperiri. Atque utinam non reperirentur, vel saltem non tam multi! Sed quid cogor dicere? Plurimi sunt tales patres, qui tamen a filiis suis interim amantur, coluntur, defenduntur: suntque ministri verbi Lutherani et Calviniani, qui suis gregibus pro pane dant lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpionem. Quid ergo facturos et dicturos putaris ipsorum parochianos, si hanc rem intelligerent? Sed videbor illis calumniari, nisi ista ostendam: idcirco hoc nunc faciam.

I. Porrigunt eis lapidem pro pane in communionem, quia pro vero corpore et sanguine Christi dant eis merum naturalem panem ac merum naturale vinum. Annon hæc crudelis est deceptio? Christus enim dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Itaque hi ministri vitam adimunt miseris, dum pro carne et sanguine Christi panem tantum et vinum eis præbent: ad instar immanis illius belluæ et acerbis irrisoris Heliogabali imp. qui senatui Romano invitato, pictos solum et fictos apposuisse cibos scribitur. Ita omnino ipsi, dum enim corpus Christi promittunt, nihil aliud dant aut dare possunt, quam quod pistores et caupones, panem scilicet et vinum. Sed probandum est quod dicimus. Sacramentum eucharistiæ confici non potest nisi a sacerdote: Lutheranorum et Calvinianorum ministri non sunt sacerdotes, ergo, etc. Major patet ex sacerdotio Christi, qui fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, praxi totius Ecclesiæ; ubi enim unquam pro vero Christi corpore habitum est, quod non conficeretur a sacerdote? Ubi etiam offerre alicui, qui sacerdos non esset, licuit? Certe pervenit olim ad S. Concilium Nicænum, quod in quibusdam civitatibus diaconi sacramenta porrigerent tantum sacerdotibus. Ad quod Concilium: *Hoc neque regula neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi, porrigant,* ex Conc. Nicæno. S. Hieronymus, advers. Lucifer. cap. VIII. de apostata diacono scribit: *Neque eucharistiam conficere potest, episcopos ac presbyteros non habens.*

Minor probatur. Primo, si enim ministri illi sunt sacerdotes, vel sunt ex ordinatione, vel ex baptismo per institutionem Christi. Nom primum; ubi enim non præcedit manuum impositio facta per episcopos, ibi non est ordinatio et sacerdotium. Constat enim in Ecclesiis sacerdotes non nisi per impositionem manuum episcopaliū factos esse. Sic Act. XIII. Paulo et Barnabæ impositæ manus: similiter Timotheo et Tito a

Paulo. Neque dicere possunt hæretici, eandem esse episcopi et sacerdotis potestatem, quia contradicit tota antiquitas: et cum aliquando Aerius id assereret, mox ab Epiphano et Augustino confutatus et damnatus est. Nonne in veteri lege summus pontifex a sacerdotibus, in nova apostoli a septuaginta duo discipulis differebant? Non potuerunt ergo ministri hæreticorum ordines accipere a Luthero, Oecolampadio, Bucero, Zwinglio et similibus, qui sacerdotes quidem fuerunt, non tamen episcopi, adeoque nec ordinare alios potuerunt. Unde mera vanitas et illusio fuit illa Lutheri ordinatio, qua anno 1540. Witembergæ, M. Schuchmannum ordinavit, dicendo: *Sicut misit nos Deus, ita mittimus te.* Crediderim tunc conscientiam illi dixisse: Tu vero missus a Deo non es, ergo nec is quem mittis. Sane Lutherus, non accepit ab episcopo in sua ordinatione potestatem ordinandi alios, uti nec alii sacerdotes; sed tantum sacerdotalia munia obeundi. Quomodo ergo dare potuit aliis, quod ipse non accepit? Unde dum jam unus prædicans alium ordinat, perinde agunt ac si rustici se mutuo equites crearent et barones: ut enim hæc creatio vanissima est et ludicra, sic eorum ordinatio.

Multo minus dici potest secundum, quod tamen asserit Lutherus, Christum scilicet omnibus Christianis dedisse hanc potestatem in ultima cœna qua omnibus ibi præsentibus dixisse ait: *Hoc facite, etc.* in ep. ad senat. Pragensem, quin in l. de missa privata et ordin. concedit munus consecrandi et sacramenta administrandi etiam diabolo, et ejus matri, sic hoc munus obire vellet. Sed quis non abhorret ab hac blasphemia? Ecclesia certe semper tenuit, nec angelis nec ipsi Deiparæ hoc munus competere aut concessum esse: quod Lutherus etiam concedit diabolo et omnibus lacis. Deinde falsum est, quod ait; solis enim discipulis tunc præsentibus dixit Christus: *Hoc facite, etc.* Vel cum nihil credendum asserant Lutherani, nisi quod scriptum est, ostendant hoc ipsum dictum esse omnibus Christianis, etiam absentibus. Secundo, si hoc dictum esset et mandatum omnibus, tenerentur omnes consecrare et distribuere; id autem non solum esset absurdissimum, sed etiam contra consuetudinem omnium tuum catholicorum tum hæreticorum. Et superintendentes vel magistratus Lutherani, qui hoc non concederent omnibus etiam plebeis, contra venient juri divino, quod omnibus hoc concessit, ut dicunt.

Tertio, proferatur aliquod exemplum, quo probetur in aliquo casu aliquem non ordinatum consecrasse eucharistiam: qualia autem habemus de baptismo. Certe neque diaconi hoc possunt.

Secundo, convincuntur ex hoc, quod ipsismet Lutheranis dicat conscientia, catholicos sacerdotes veros esse sacerdotes et vere conficere sacramentum: non ipsorum ministros. Patet enim, sacerdotes apostatas, si qui ad eos declinant, ab ipsis non ordinari amplius: (cum tamen ipsorum ministri, a nobis ordinari debeant) imo ipsos ab illis libentius percipere sacramenta quam a suis. Ad hæc ipsimet Lutherani a statibus s. Rom. imperii petierunt aliquando ut ipsorum ministri, pastores et prædicantes ab episcopis Misniæ, et Norimbergæ ordinarentur. Quemadmodum et Hussitæ solebant suos ministros amandare ad episcopos catholicorum ut astu et mendaciis ordinem suffurarentur: hoc ipso testantes jus ordinandi esse tantum apud episcopos catholicos. Refert Franciscus Turrianus, in lib. de Ecclesia et ordinatione ministrorum.

Tertio, quia ministri hæreticorum ministerium et ordinem suum putativum deponunt quando volunt, proprio arbitrio, quemadmodum et Marcionistæ olim tales habebant, de quibus Tertullianus antiquissimus doctor, qui vixit initio tertii sæculi, l. de præscript. advers. hæret. c. XLI. ait: *Hodie presbyter, qui cras laicus*. Quod ipsum concedit Lutherus variis in locis, dicens sacerdotium esse tantum officium, quod expirat, cum quis id deponit. Hinc passim apud hæreticos prædicantes fiunt ludimoderatores, æditui, caupones, mercatores, procuratores, lictores, etc. Denique, ipsi eorum ministri nolunt vocari sacerdotes, nec ita vocantur a suis: cum tamen Petrus et Paulus presbyteros se vocent, Act. XIV. Tit. 1. 1. Tim. V. 1. Petr. V. Neque ipsi consentiunt inter se utrum ordo sit sacramentum. Itaque verissime hæreticorum ministri, lapidem pro pane porrigunt suis, dum merum panem et vinum, pro corpore et sanguine Christi dant. Qua ex re mirum apparet, quod hæretici, de utraque specie adeo contendunt, interim vero neutram habeant, sed sustulerint utramque dum sacerdotium sustulerunt. Lepidissimi nimirum homines, instar Æsopici canis dum de umbra speciei unius contendunt, utrumque perdunt.

II. Pro pisce serpentem porrigunt, quando a peccatis absolvunt, quia pro remissione peccatorum et gratia justificante porrigunt eis mortiferam quamdam fiduciam, nullo fundamento nixam, qua credere eos jubent ac certos esse asserunt, remissa sibi esse peccata, cum tamen nullam omnino potestatem habeant dimittendi peccata. Quod quid aliud est, quam serpentem in sinum eorum recondere, qui interitum eis afferat? Unde merito dixeris: *Venenum aspidum sub labiis eorum*, Pslam. XIII. quia: *Sanant contritionem populi dicentes: Pax, pax, cum non sit pax*, Jer. VIII. Dicunt enim et jubent eos certos

et securos esse de remissione peccatorum: cum tamen ipsi verbi ministri nihil remittere queant. Probatur hoc quod dicimus. Si enim habent potestatem dimittendi peccata, vel habent immediate a Deo, vel mediate, per homines: neutrum, ergo. Non immediate a Deo, quia deberent hoc ostendere miraculis, sicuti ostenderunt Moyses et apostoli: *Domino cooperante et sermonem eorum confirmante sequentibus signis*, Mare. ult. Alioquin enim quilibet iurco dicere posset, se immediate a Deo missum: et sic omnes hæretici se in ovile Christi intruderent. Atqui Lutherus et Calvinus nulla patrarunt miracula. Nam quod pro miraculo affert Zeæman contra Ungersdorff, Lutheranismi dilatationem brevi tempore per Germaniam factam, vanissimum est: fuit enim res faciens negotii homines per se ad malum pronos, in spiritu languidos, mortificationis et honorum operum pertæsos, bonorum ecclesiasticorum cupidos, ab arcta salutis ad spatiosam illam perditionis viam perducere.

Nec quidquam valet, quod Lutherus in dom. prima post pacha Postillæ asserit verba Christi: *Quorum remisistis peccata, etc.* ad omnes Christianos dicta esse, adeoque omnes Christianos ab ipso baptismo habere hanc potestatem. Falsissimum enim est hæc verba omnibus dicta esse. Solis apostolis dicta sunt. Et si ipsorum placito, nihil credendum quod non est scriptum, unde probant hoc ad omnes Christianos pertinere quod solis dictum est apostolis?

Deinde, iterum divinum jus infringent, si potestatem quam Christus omnibus dedit, ipsi laicis adimerent, et solis ministris conferrent.

Non mediate sel ordinarie; quia Lutherus vel accepit hanc potestatem ab Ecclesia, cui creditæ sunt claves cœli a Christo; et hoc non, quis enim dedit potestatem Lutheri prædicandi evangelium suum novum et peccata dimittendi? Certe Leo X. Lutherum excommunicavit, adeoque omne ei jus prædicandi, absolvendi, docendi abstulit, si quod prius habuit. Quod si ipse hanc habuisset, non potuisset tamen eam conferre alteri: quia hæc claves ab ipso summo Ecclesiæ capite dependent, a quo ipse se separavit. Item si ab illa accepit potestatem, ergo Ecclesia catholica vera est: vel si ipsa vera non est et papa antichristus est: quomodo Lutherus ab illo mitti et potestatem accipere legitimam potuit? Item si papa potuit mittere ipsam; ergo et alios in omnes terræ partes, ergo est legitimus universalis episcopus totius mundi: quod ipsi pernegant. Vel a magistratu sæculari; et hoc non, quia dicant unde magistratus ille habeat hanc potestatem: non a jure divino, quia id potius eam illi adimit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, ait Dominus; non a jure canonico,

oo, ut patet, nec Cæsareo, quia constituit. CXVIII. auth. ait Justinianus imp. *Si ecclesiasticum negotium sit; nullam communionem habent civiles magistratus cum illa disceptatione, sed religiosissima episcopi secundum sacros canones finem imponunt*. Itaque vanissima est potestas et missio quam accipiunt prædicantes a sæcularibus. Quemadmodum nobilis illa domina (taceo nomen) in Austria mundo se ridendam exposuit, dum præceptorem filiorum suorum pastorem consecravit et instituit, imponendo ei manus unaque præcinctorium suum. Vel a doctoribus academiæ, qui doctoris gradum Lutheri contulerunt. Et hoc non, quia illorum, non est conferre talem potestatem. Et aliud est docendi habere potestatem (quam catholici dant solum docendi catholice) aliud absolvendi.

Nemo igitur indigitari potest, a quo Lutherus et proinde omnes ejus sectatores (qui si quam habent, non nisi ab ipso mediate accepissent potestatem) absolvendi potestatem habeant. Serpentem ergo pro pisce dant suis. Confugient forte ad remissionis annuntiationem (quando potestatem sibi probare nequeunt) dicendo, idem esse remittere peccata, et prædicare remissionem peccatorum. Unde Lutherus, in serm. de confess. tom. VI. Wittembergensis asserit, quoties conecionator loquitur, vel sacerdos in altari dicit: *Pax vobis*, toties eum annuntiare remissionem peccatorum. Sed vanissimum hoc est, quia aliud est remittere peccata, aliud nuntiare remissionem, sicut aliud est numerare pecuniam, aliud dicere, numerandum esse pecuniam. Et Christus non dixit: Quibus prædicaveritis remissionem peccatorum, sed: *Quorum remisistis peccata*. Deinde, claves cum dantur, datur potestas aperiendi. Idcirco etiam Dominus cum afflatu dedit eis tunc Spiritum sanctum et potestatem absolvendi, quia sicut flatus extinguit lumen et dissipat fumum; sic potestas sacerdotum ad remittenda peccata, extinguit illa, juxta id Isa. XLIV. *Delevi ut nubem peccata tua*. Idem colligitur ex metaphora ligandi et solvendi. Item ex eo, quod non tantum datur potestas remittendi, sed etiam retinendi. Rursum ex voce *quorum*: quia non vult omnibus promiscue et indefinite remitti, sed pro arbitrio et judicio sacerdotum. Taceo alia, de quibus Bellarminus, de pœnitentia, lib. III. cap. II. ad fin.

Unde patet quam misere decipiant plebem, nuntiando et promittendo eis falsissimam remissionem, quam dare se non posse intelligunt. Agunt hi perinde atque illi duo Anabaptistæ, Joannes de Leyden et David Georgius, anno 1534. in episcopatu Ultrajectino, qui multis simplicioribus persuaserunt dicentes, ut pecu-

as ipsis traderent, ac in terram promissionis cum ipsis proficiscerentur, atque in itinere arbores conscenderent, accepturi illic panem celestem: quod cum facerent, aliqui semineces ceciderunt ex arboribus. Sic isti pecuniam accipiunt de confitentibus, et promittunt vel annuntiant eis remissionem peccatorum. Qui tamen fraudati aliquando decident illusi de spe sua. Quanta ergo hæreticorum miseria, qui toto vitæ tempore perpetuo in peccatis suis vivunt, nec unquam ab iis absolvuntur? Si enim: *Beati quorum remissa sunt iniquitates*, teste Davide, Psal. XXXI. ergo miseri, quorum non sunt remissa: *Væ civitati sanguinum*, ait Ezechiel, c. XXIV. *ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea: per partes et per partes suas ejice eam*.

III. Pro oïo scorpionem porrigunt, dum pro vero et sincero Dei verbo ejusque intellectu, pravum et noxium offerunt: quod quidem in facie blanditur ut scorpio, sed in cauda tandem pungit et necat.

Hoc autem faciunt multipliciter. Primo, dum omnia sua dogmata et pene singula verba Scripturarum sententiis pingunt, et perpetuo verbum Dei specioso titulo ingeminant populoque inculcant, quasi ipsi soli verbum Dei habeant, intelligant et sequantur: nemo alius. « Sciant enim, inquit Vinc. Lirinensis, l. contra hæres. c. XXXV. fetores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi et simplices exhalentur; atque idcirco eos celestis alloqui velut quodam odore aspergunt, ut ille, qui humanum facile despiceret errorem, divina facile non contemnat oracula: idemque faciunt quod hi qui parvulis austeram quædam temperaturi pocula, ora melle circumlinunt, ut incauta ætas cum dulcedinem præsenferit, amaritudinem non reformidet. » Sic ille. Quasi vero non etiam diabolus Scripturam allegaverit Christo, et ex illa tentationi suæ prætextum sumere non potuerit.

Secundo, dum fere relictis claris obscurissimas adducunt Scripturas et ignota per ignotiora probare conantur: ad instar vulpis, quæ adversum canes in apertum non prodit, sed silvas petit et foveas, deque una in aliam repit: item dum in controversiis semper ad Scripturam appellant, in qua sciunt invenire plurima latibula. Cum enim ea obscura sit, et variis modis exponi possit et exponatur, facile ibiveniunt, quo errores suos tegant. Interim vero simplices decipiunt; quia: *Scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistunt*, ait S. Hieronymus advers. Lucifer. et S. Hilarius, l. II. de Trinit. ait: *De intelligentia hæresis est, non de Scriptura*. Nemo enim hæresiarum fuit qui dogmata sua ex Scripturis firmare non contenderet. Lutherus hanc senten-

tiam ita intelligit, Calvinus ita, Zwinglius sic. Cui ergo tandem credendum? Nonne antiquitati et illorum patrum communi sensui, qui ante nos in vera Ecclesia fuerunt? Cum quaeritur de statu Romae veteris et litigatur ex historia Livii, verbi gratia, qui arbiter adhibendus? Num recentiores scriptores? An vero antiquiores qui tunc Romae vixerunt?

Tertio, dum omnibus etiam rusticis plenam faciunt potestatem legendi et intelligendi biblia, imo etiam jubent; quod est dare pueris cultros, quibus ipsi se conficiant. Sic enim S. Petrus, II. ep. c. III. ait in epistolis S. Pauli esse: *Quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Et talibus nos prohibemus lectionem bibliorum, qui scilicet indocti sunt et instabiles, nec Ecclesiae se subjiunt, sed pro capite suo Scripturas exponere volunt.

Quarto, dum Scripturas pervertunt et perperam exponunt. Lutherus enim ex 1. Thes. IV. *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, abstulit sequentia verba: Ut abtineatis vos a fornicatione, quia scilicet male cohærebant cum ejus dogmate: Si nolis uxorem, veniat ancilla.* In epistola Pauli ad Rom. c. III. *Arbitramur hominem justificari per fidem,* addit, *solum.* Et cum de hoc carperetur, respondit: *Papistam et asinum idem esse. Sic volo sic jubeo, etc.* In ep. Jacobi, c. II. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus?* ait apostolus, Lutherus reponit: *Ostende mihi fidem tuam cum operibus?* In II. Petr. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; omittit id: Per bona opera.* Idem Psal. LXXV. ad id: *Vovete et reddite Domino Deo vestro;* glossa: *Habete Dominum pro Deo vestro.* In symbolo apostolorum, pro Ecclesia catholica reponit christianam; quia scilicet vidit suam non esse catholicam.

Quinto, dum pessime Scripturam explicant, et per hoc pessima et pestilentissima dogmata docent, quibus animas simplicium necant. Quale est: « Deum esse causam peccatorum, jubere, præcipere, simul perpetrare; hominem non habere liberum arbitrium; non posse observari decem præcepta; bona opera nihil nobis prodesse. imo peccata esse; neminem damnari ob quantacumque peccata posse, nisi ob solam infidelitatem; imo vitare peccata obesse Christiano; licere marito adulterari cum ancillis, et similia. » Blandiuntur hisce dictis ut ore suo scorpio, sed cauda venenum inserunt.

Sexto, dum seligunt et afferunt tantum Scripturas, quae ipsorum capiti et ventri favere videntur, adversas vero reticent; proferunt eas, quae de conjugibus loquuntur, tacent quae de virginitate. Proferunt eas quae de laude et præconio fidei; tacent, quae de necessitate honorum

operum; proferunt quae de libertate spiritus, tacent quae de obligatione mandatorum; proferunt, quae de ciborum munditie et concessione, tacent, quae de jejuniis; proferunt quae de Dei misericordia, tacent quae de Dei justitia. Ut enim laena, cum pro catulis foeta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat, ut scribit, Plin. l. VIII. cap. XVI. Ita illi a Scripturis, quibus feriuntur, avertunt oculos. Hinc suis omnibus salutis securitatem promittunt: en mel in ore, sed fel in cauda scorpionis. Tacent quod ex nostra parte requiritur; quae conditio an a nobis expleatur non constat nobis. Itaque vobis, o miseri, quicumque in hæresi degitis, dictum credite, quod Isaias, cap. III. dicit: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Sentietis aliquando scorpionis vobis oblatis venenum in ultima illa hora, quae præsentabit vos divino tribunalii. Quam enim habere fiduciam salutis et securitatem queat, qui tunc temporis recordatur salutem ivisse viam, bonis operibus non studuisse, nova dogmata secutum esse, viam et fidem, saltem suspectam tenuisse. Fatetur sane ipse Lutherus ad duos parochos de Anabaptismo; rursus de missa privata et unctione sacerdotum, in papatu esse veram Scripturam et evangelium sincerum in cancellis, veram absolutionem et veras claves ad remissionem peccatorum, verum sacramentum altaris. Nos veros ostendimus hæc omnia apud hæreticos non esse. Cur ergo saltem non tenetis certum et dimittitis incertum: præsertim in re summi momenti? Si enim vestri conficiunt, et dant (ut putatis) vobis verum Christi corpus in sacramento, multo certius nos: si ipsi vere absolvent, multo certius nos. Si ipsi pro se habent Scripturas, multo magis nos, qui præterea etiam habemus consensum antiquitatis, et communem patrum interpretationem: *Tene ergo certum et dimitte incertum,* ait Augustinus. Sane si tibi ex una parte offerretur piscis, quem certo agnoscis, ex altera vero anguilla, de qua dubitares, piscisne sit an serpens: an tu malles hanc arripere quam illum? Ergo si ad salutem corporis adeo solerter attendimus, par est ut salutis animæ multo magis invigilemus.

CONCIO VIII.

QUINAM ILLI PARENTES, QUI PORRIGUNT SUIS LIBERIS PRO PANE LAPIDEM, ETC.

I. Lapidem pro pane dant: 1. Qui negant illis panem naturalem. 2. Qui alunt eos pane furtivo. 3. Qui non dant eis panem spirituale. — II. Serpentem pro pisce dant: 1. Qui intemperanter vivunt. 2. Qui diis eos devovent. 3. Qui nimis erga eos severi sunt. — III. Pro ovo scorpionem dant: 1. Qui ni-

miu liberis blandiuntur. 2. Qui ad placitum eis omnia concedunt. 3. Qui testamentum cum opus est non conficiunt.

THEMA.

Quis vestrum patrem petit panem, numquid pro pane lapidem dabit illi? Luc. XI.

Dixi alias, dæmonem esse primum, qui hoc facere contendat hominibus, mortis præsertim in articulo. Dixi rursus, hæreticorum prædicantes esse, qui hoc faciant imperitæ plebi. Dico nunc amplius quid, parentes etiam ipsos esse non paucos, qui hoc faciant suis liberis. Horrendum est quod dico. De dæmone non mirum, quia is nil aliud quaerit, quam perditionem nostram. Nec miror de prædicantibus, quia ipsi de pane lucrando, de uxoribus et liberis cura et res est. Sed de parentibus quis non miretur? Sane Christus Dominus ita de iis loquitur in hodierno evangelio, quasi ejusmodi parentes nesciam inveniantur: *Quis vestrum, inquit patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* q. d. quis credat hoc facturum aliquem parentem? Atque utinam non invenirentur. Sed si accuratius inquiremus, forte ejusmodi parentes, non paucos inveniemus; uti nunc videbimus.

I. Lapidem pro pane porrigunt suis liberis parentes illi parum pii, qui primo, negant suis liberis panem naturalem; uti matres, quae cum commode possint, non alunt proprio lacte proles, quas in lucem ediderunt. Id certe videtur naturæ repugnare, si enim in utero suo aluerunt imperfectum, quod non viderunt: cur non alant sed nutriceibus tradant, quod jam vident vivere, jam hominem materna officia implorantem? Deinde, hoc est intercidere coagulum amoris, quo natura parentes cum liberis sociavit. Ecce etiam natura matribus turgere facit mammillas, et quasi lagenulas quasdam lacte replet, nisi ad nutriendas proles? Arguunt ejusmodi matres bruta animantia, quae cum magna inclinatione nutriunt fetus suos: arguunt, matres primorum sæculorum; Sara, Rebecca, Anna, mater septem Macchabæorum, Deipara, etc. quae proprio lacte filios aluerunt: arguit eos incontinentia, ejus se reas produnt, si absque causa liberos suos aliis dent nutriceibus. Maxime vero delinquent, cum eos dant nutriceibus improbis, impudicis, iracundis, temulentis, crudelibus aut morbo infectis, constat enim tales fere existere proles, quales fuere nutrices. Inde Titus Vespasianus filius semper infirma valetudine fuit, quod ab infirma nutrice lactatus: Tiberius Nero, magnus potator, ideo Biberius Mero vocatus, quia nutrice habuit vinolentam: Caligula crudelis et sanguinolentus, quod ejusmodi lac suxerit. Contra S.

Augustinus, in l. confes. fatetur se cum lacte matris, Dei cultum et venerationem hausisse.

Deinde, patres, qui post primum triennium non curant alere liberos suos, sed vel miseræ uxori onus hoc relinquunt, vel rem domesticam abliguriunt, vel omnino deserunt liberos suos. Similes hi sunt aquilæ, ut ostendit S. Basilius, hom. VIII. in hexa. quæ unam prolem tædio nutritionis abjicit e nido, tandem et alteram deserit. « Ejusmodi parentes, inquit Basilius, sunt in liberos præduri et inclementes, qui prætextu a paupertate quaesito suos infantes exponunt, aut certe iniquissimos se declarent patrimonio in filios partiendo. » Comparantur item merito struthioni de qua Job XXXIX. dicitur: *Dereelinquit ova sua in terra: obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat: duratur ad filios quasi non sint sui.* Siquidem ejusmodi liberi ita derelicti coguntur malis artibus se alere, unde pravis sociis se adjungunt et discunt ludere, furari, pejerare, etc. Quo fit ut non modo ab hominibus conculcentur, sed etiam a carnifice sæpe exterminentur. Viderint parentes, qui tam durum lapidem pro pane dant suis liberis. Certe aves, uti gallinæ, studiosissime alunt proles suas, et proprio ori subducunt escam, ut illis eam partiant: plures simul sub alas suas recipiunt et fovent. Erubescant igitur parentes, qui hoc negant liberis suis.

Secundo, qui porrigunt et procurant quidem eis panem, sed alienum, sed furtivum, aluntque eos ex iniquo mammona. Talem enim panem, non tam panem quam lapidem esse testatur Sapiens, Prov. XX. *Suavis est homini, inquit, panis mendacii, (id est, inique et cum fraude partus) et postea implebitur os ejus calculo,* q. d. initio quidem suavis est ejusmodi panis, quia aquæ furtivæ dulciores: sed tandem aliquando fiet lapis, quem non poterunt parentes et filii deglutire, cum strangulabit eos in judicio Dei.

Tertio, qui non procurant eis panem spirituale, disciplinam et institutionem bonam, sed pro ea dant eis libertatem agendi quidvis, et vivendi prout volunt: aut etiam institutores perversos. Dant hi, inquam, liberis lapidem pro pane, quia per hanc licentiam vivendi et libertatem duri, præfracti et lapidei fiunt, ut postea nullis artibus coerceri amplius queant. Ut enim equi, qui non frænantur a tenera ætate, præfractum os acquirunt, nec possunt amplius ad nutum equitis verti; uti ensis, qui non curvatur dum in igne mollescit, curvari dein ægre potest: ita et juvenus. Unde Ecclesiasticus *ut quis indomitus evadit dicitur, ita puer remissus evadit præceps.* Ecclesiast. XXX. *Neque dicitur parentes: Bonæ sunt indolis filii et filiae, non indigent cultura aut custodia; siquidem a malorum con-*